Quelle: http://manuscripta.at/?ID=387
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ultro ad carnificem deferre? Quid si de iusto atque innocente ubi lateat
sciens interrogeris a iudice, qui tamen ad mortem a maiore potestate
iussus est rapi, ut ille qui interrogat executor sit legis, non conditor?
annon erit falsum testimonium quod pro innocente mentieris, quia
nec ille iudex sed executor interrogat? Quid si ipse conditor legis
interroget, aut quilibet iudex iniquus ad supplicium quaerens innocen
tem? quid facies? falsi testis, an proditor eris? an ille erit proditor, qui iu
sto iudici latentem homicidam ultro detulerit, et ille non erit qui
iudici iniusto ubi lateat innocens quem quaerit occidere interro
ganti indicaverit eum qui se fidei eius commiserat? An inter crimen falsi testi
monii et proditionis dubius incertusque remanebis? an tacendo vel
profitendo te non esse dicturum certus utrumque vitabis? Cur ergo non facias
antequam ad iudicem venias ut caveas etiam mendacium? Cavendo enim
mendacium omne testimonium falsum effugies. Si autem omne menda
cium sit falsum testimonium quod tu esse intelligis, non effugies omne
mendacium. Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices: nec prodam
nec mentiar. Fecit hoc episcopus quondam Thagasensis ecclesiae Firmus nomine
firmior voluntate. Nam cum ab eo quaereret homo iussu impe
ratoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligen
tia quanta poterat occultabat, respondit quaerentibus nec men
tiri se posse, nec hominem prodere. Passusque tam multa tormenta
corporis (nondum enim erant imperatores christiani) permansit in senten
tia. Deinde ad imperatorem ductus usque adeo mirabilis apparuit,
ut ipse homini quem servabat indulgentiam sine ulla difficulta
te impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius? Sed ait
quisquam timidior: paratus esse possum ad quaelibet ferenda tormenta,
vel etiam mortem obeundam, ne peccem. Cum autem peccatum non sit ita
mentiri, ut neque cuiquam obsis, neque falsum testimonium dicas, et pro
sis alicui, stultum est et grave peccatum voluntaria frustra sus
tinere tormenta, et fortassis utilem salutem ac vitam incassum saevien
tibus proicere. A quo quaero cur timeat quod scriptum est: Falsum